

§. 1.

Voluntatis Humanae naturam dum aggredimur explicandam, in limine prius B. L. illorum facimus certiores, quæ expectare debeat in sequentibus. Totus autem discursus nostri cardo vertetur in duobus videlicet (1.) in Ονοματολογία, ubi paucis originationem & diversam vocis significationem attingemus. (2.) In πραγματολογία, ubi rei per vocem illam significatæ, positâ prius & paullo uberius explicatâ definitione, divisiones quasdam, & quæ huc spectare videbuntur, quæstiunculas erimus proposituri.

§. 2. De hoc, cui Voluntas suos in acceptis Nominales referat, primo loco erit dispiciendum. Sunt autem, qui à volatu, sive à volitando voluntatem appellari autumant, idque ideò fortassis, quòd ipsa volucris instar ad res volitas velocissimo quasi volitet volatu. Et cum hâc suâ derivatione quàm optimè convenire putant Græcum illud φέλιμα, quod juxta illorum mentem est ἀπὸ τῆς φέειν λίαν, quod valde currere significat, in hâc ratione τὸ φέλιμα vî originis idem sit, ac valde currens, atq; ita dicatur propterea, quòd voluntas ad rem, quam appetit, plenò cursu celerrimè feratur. Est non nemo inter ipsos Scholasticos, qui voluntatem, à volubilitate vult esse deductam, causamque reddit, quòd ipsa nunc in fuga mali, nunc in prosecutione boni volvatur. Nec desunt, qui existimant, quod Voluntas à Græco nomine βέλοισι factâ mutatione in literis partim, partim in pronuntiatione descendat. Verùm hæc opinioniones singulæ suum in cornu foenum gerunt, ex quo cognoscitur, cujus sint farinæ. Nos misis aliorum subtilitatibus, Voluntatem deduci censemus à verbo volo, quod à Græco illo βέλομαι descendisse de facili nobis patimur persuaderi. Nam uti inter eruditos nemini clam est, Græcum β. vulgo pronunciari amat, ceu Latīnum v. Deinde, (quod animadvertit subtilis Scaliger

Cc 2

ger